

Materiali indeterminatè five in actu signato consideratâ, sed physicè pro causâ Materiali determinatè five in actu exercito scil. corporis naturalis spectatâ, & vocatur ad evitandam omnem æquivocationem Materia ex quâ. Hæc verò quia duplex est, alia productionis, aliquando Generationis dicta, alia compositionis seu Constitutionis; illa est, ex quâ aliquid fit, ista, ex quâ aliquid constat. Sic Materia Generationis, Hominis Constituendi nempe, est semen & sanguis, inde enim partes spermaticæ & sanguineæ elaborantur: Materia compositionis, hominis constituti est corpus organicum: Non ergò de illâ adeò hîc agimus, sed de istâ. Transiens enim illa est, ista permanens, at verò juxta Aristotelem l.1. Phys. c.6. t. 50. *τὰς ἀρχὰς αἰεὶ δεῖ μένειν*, principia semper manere oportet.

§. 2. Porro Definitio *Materia* constat genere & differentiâ. Genus causa interna est. Dicitur autem Materia *Causa*, quia veram & propriè dictam exercet causalitatem, non in formam tantùm, juxta nonnullos, eam recipiendo & sustentando, sed præcipuè in totum compositum, id cum Formâ intrinsicè constituendo. Principium autem passivum cum audit Materia, illud non fit ab solutè, sed comparatè in respectu ad Formam. Unde *Conimbricenses in L. 2. Phys. c. 7. q. 19. art. 3.* Materia nihil agit, & si ad actiones formæ provatâ suâ portione concurrat, non quidem eas efficiendo, sed recipiendo, item etiam componendo totum, cujus est agere. Dicitur etiam *interna*, quia ingreditur essentiam corporis naturalis adeò, ut sine eâ corpus naturale nec esse nec concipi possit, vel ut *B. Sperlingius* habet in *Institut. suis*, ut facere corpus sine materiâ sit facere panem sine farinâ & somnium sine somno. Et usq; adeò si corpus est, materiatum est; Et si materiatum non est, nec corpus est. In hoc enim corpus adæquatè contradistinguitur spiritui ita, ut quicquid non est substantia corporea, illud sit substantia incorporea.

§. 3. *Differentiam* præstat propria materiæ causalitas, influxus nempe, non ille omnibus causis communis, sed ad hanc restrictus unicè per Terminum *Ex*, qui strictè & accuratè loquendo soli competit Materiæ, sicut Terminus *A* soli Efficienti;